

* P * V * I * S *

* 1 * 6 * 2 * 4 *




- I. Paraphrasis Psalmi LXXXII M. Zachariae Wennenezeri
- II. Psalmi Davidici 121. 91. 125. 124. Gregorij Bersmanni.
- III. Oratio de Christo recens nato Joachimi Flemingi
- IV. Lessius Casareus Cyriaci Herdesiani sup obitum Rudolphi Imperatoris
- V. Soteria Dn. Johanni Georgio Saxonum Duci Academiae Wittebergensis.
- VI. Votivus applausus Dn. Hug: Principi Anhaltino administrationem principatus Cisalpinii suscipienti Frederici Theodorij Gorlicio
- VII. Theophrastus in qua ad Dn. Augustum Principem Anhaltinum Thomazij causa servestam nerezum M. Petri a Jena.
- X. Epithalamium Marci Frederici Wendelin ad Dn. Augustum Ducem Brunovicensium.
- II. Epithalamium ad eundem principem Jani Cremeri.
- III. Ecloga Gregorij Bersmanni Rudolpho Principi Anhaltino sponso scripta.
- XI. Theophrastus in qua ad Dn. Rudolpho Princ: Anhaltino scripta a Collegis Scholae Servestanae.
- XII. Epicedium in obitum Dn. Rudolpho Princ: Anhaltini Abrahami Cremeri.
- XIII. Strena Poetica Christophori Heroldi.
- XIV. Querele Saravictoris et Biomea.
- XV. Gregorij Bersmanni in pontem sablicium Debaensem Carmen Graecum.
- XVI. Joachimi Flemingi Piculum Scholasticum.
- XVII. Abrahami Vrici Diagrapha Laboris Scholastici.
- XVIII. Coronis Collegio Disputatorio et Oratorio imposita.
- XIX. Typus Depositionis Scholasticae Frederici Widebrami
- X. Bulla Amuletum M. Bloey.
- CI. Oda honoribus Dn. Danielis Burchardi Dn. Johannis Christophori Hartmanni. Dn. Philippi Meudligeri. Dn. Matthaei Coleri Doctorum scripta.
- XXII. Gratiarum Actio M. Johannis Copperij post Magistratum cultum pronuntiata.
- XXIII. Epigramma in Cerevisia Servestane Danielis Burchardi.
- XXIV. Dehortatio a Calumnias
- XXV. Germania ad Principem epistola Ad: Martino Pratorio.
- XXVI. Votum Scholae Veraliensis
- XXVII. Theophrastus in qua ad Dn. Johannem Stunium.
- XXVIII. In honorem Magistrum Dn. Johannem Guac
- XXIX. Trizinta Jeverum M. Christiani Galli Italio-Saxonis.
- XXX. Adami Forweroy Frederici Steseris Ernesti Wulstorgij.
- XXXI. Eorundem
- XXXII. Juvenum 37. M. Theophili Carisseri
- XXXIII. Johannis Cremeri.
- XXXIV. In honorem Notarii Valerij ni Gelani.
- XXXV. Strena anagrammatum quadrifida Christophori Heroldi.
- XXXVI. In nuptias Dn. Wolfgangi Amlingi 4. V. D.
- XXXVII. Eiusdem Johanni Amlingi Nicolai May.

XXXIII. Nuptijs Wolfgangi à Bergen.
 XXXIX. Valerij Rudingeri
 XL. Martini Coppen: Med. S.
 XLI. Abrasani Vicet Saleri
 XLII. Henningi Grosy Junioris.
 XLIII. Johannis SeSorij.
 XLIV. M. Johannis Coppenij.
 XLV. Valentini Gelani.
 XLVI. Frederici Hanelij.
 XLVII. Jeremie Vden.
 XLIII. Andree Gosel.
 XLIX. Johannis KiseWitteri.
 L. M. Georgij Theodori.
 LI. Georgij Burchardi.
 LII. Dn. M. Theopoli Bodemi.
 LIII. Johannis Bergij S. S. Theologie D.
 LIY. Michaelis Thoma. J. V. S.
 LY. Johannis Buremanni.
 LVI. Christiani Augusti Charicij.
 LVII. Dn. Johannis Bergij S. S. Theologie D.
 LVIII. Eiusdem Theologie D.
 LIX. M. Jacobi Martini.
 LX. Georgij von Dongen.
 LXI. Dn. Peter Commopffindell.
 LXII. Dn. Christiani Spizelij.
 LXIII. M. Simonis Daligon.
 LXIV. Dn. Frederici Graubij.
 LXV. Dn. Johannis Fleinemann.
 LXVI. Davidis Frederici.
 LXVII. Johannis Schrotori.
 LXVIII. M. Georgij Underlingij.
 LXIX. Casaria Riemschneider.
 LXX. Johannis Mütij.
 LXXI. Eiusdem.
 LXXII. M. Christophori Metelb.
 LXXIII. Eiusdem.

LXX. Nuptijs
 LXXV. Eiusdem
 LXXVI. Eiusdem
 LXXVII. Dn. Ottonis von Dorn.
 LXXVIII. M. Ernesti Wulstorpij.
 LXXIX. Andree Winsij.
 LXXX. Hymeneus in laudem Dn. M. S.
 Sti Wulstorpij.
 LXXXI. Dn. Henrici de Sörsbell.
 LXXXII. Frederici Grosy von.
 LXXXIII. Casaria Fingerlingij.
 LXXXIV. Dn. Ambrosij Lepij.
 LXXXV. Martini Milazij.
 LXXXVI. Curadi Geroldi.
 LXXXVII. Dn. Johannis Dronon.
 LXXXVIII. M. Felicio Haustadij.
 LXXXIX. Abrasani Cremeri.
 XC. Defensio Johannis Gramer.
 J. V. S.
 XCI. In obitum Christophori Wazeni.
 XCII. Coniugis M. Henrici
 Kitzschij.
 XCIII. Dn. Valerij Ragon.

EX LIBRIS
 ILLUSTRISSIMI VIRI
 DN. DAN. LVDOLPHI
 LIB. BAR. de DANCKELMANN,
 S. REG. MAL. BORVSS. CONSILIARII
 STATVS INTIMI, cetera;
 BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
 TESTAMENTO RELICTIS.





an 2
2344

URANIE

Recens natum θεαίθεων

IESUM CHRIS-
TUM

Piô ac devotô conatu

ΥΜΝΟΥΣΑ,

Nata Desse Anhaltinorum

In Muséo

JOACHIMI FLEMINGI,

Ad Annum

Apparere saLVs optabILLIs oCCIPIt, est &
ChrIstVs In Integrô Corpore faCtVs hoMo.

MCCCCCLVIIII

SERVESTÆ
CHARACTERE DORFFE-
RIANO.





LECTOR.

AMpullarier ecquid heic necessum?
Cantamus, puerisq; dedicamus
Cantatum *puerum*, fat anne? plus quam
Sat, si cedat *huic* honori, amori
Illis *huncce* medullitus vereri.

Eôsdem Mome tuos, tuos superbe,
Ac altum sapiens tuos habemus,
Cum vanis tipulæ vagantis, ictûs.

Est radix sapientia, quid? *ipsa est*,
Christum nosse, sapisne? DISCE CHRISTUM.



PRO SAPIÆ ET OMNIGENA VIR-
tutum gloriâ nobilissimi

VIRI

CHRISTOPHORI à KROSIG, HÆ-
reditarii in Hohenstorff & Sandersleben &c.

Illustrissimo Celsissimoq; Principi ac Domino, DN. JOHANNI
CASIMIRO, Principi Anhaltino, Comiti Aseania, Domino Ser-
vestæ ac Bernburgi &c. à Consiliis, & in aulâ Dessanâ Marschalli
strenui &c. Patroni & Promotoris sui submis-

sim honorandi

FILIIS ET EX FRATRE NEPOTI,
NOBILISSIMIS, PRÆCLARÆ

Indolis, maximæq; spei adolescen-
tibus ac pueris

Adolpho	-	V Vilhelmo	à Krosig.
Georgio	-	Christophoro	à Krosig.
Johanni	-	Balthasaro	à Krosig.
Ernesto	-	V Vitticho	à Krosig.
Henrico	-	Philiberto	à Krosig.
Georgio	-	Ariberto	à Krosig.

Fratribus germanissimis & Patrueli,

Virtutum & literarum studiosis;

*Illis amicis, his discipulis suis
charissimis.*

TUrpibus *vacare luxibus vel ocis*, uti
Sæpe perperam solemus, *est minus piè sacro*
Præfuisse, defuisse tempori sed impiè.

Pars profectò magna *plebis* autumat *sacras sibi*
Ferias in ocium dari, suæ *libidini*
Frena laxet ut *licentiora, Libero* sacrat
Dum *sacro Patri* dies, oportuit *sacrarier*
Quos *Deo unicè*, merisq; *vanitatibus* terit,
Quæ *piis & usibus sacris* dicanda, *tempora.*

Ista pensitans *celebro sacra festa*, queis *DEUS*
FACTUS EST *HOMO*, sinuq; *blandicellus integro*
Pupulus pependit *innuba parentis* arctius
Cogitationibus piis, piò poëmate.

Ad meos amabo, *Nobilissimi Parentis ô*
Nobilissimi venite *filii volubiles*
Hos pedes, venite, *carmen offerunt, juvenculis*
Atq; *pusionibus* dicatur *optimè DEUS*
NATUS ipse *PUSIO*, meum quod est, *amate, quod*
Illius, tenere, *discite, utilis DEI timor*
Est ad omnia omnibus, rependiturq; *maximis*
Præmiis, eanamus *ô canamus ex piò melos*
Simpliciq; corde, nec timebimus *Calumniam,*
Cui bonum, nisi quod ipsa fecitavit, est nihil.

In
Felix novi Anni au-
spicium, &
Debiti volentissimiq;
studii indicinam

Donat

JOACHIMUS FLAMINGUS
Scholæ Dessanæ

RECTOR.

URA.

U R A N I E.

Tityre tu patulô sub sidere tuq; Menalca
Ult crates intra compuleratis oves;
Heïc ubi Bethlemix veteres consurgere tures
Cernitis & celô mænia parva tegi;
Cumq; pruinofam terris jam spargeret umbram
Nox, gelidô madidus roreq; fleret ager;
Vosq; lateretis rotulis hærentē duabus
As fibus obtextâ viminibusq; casâ;
Excubiasq; ovium vigiles ageretis, & umbras
Falleret alternis noctis uterq; modis;
Edere ne rabies stragem jejuna Leonis
Tenderet, in pavidum vel pecus ire Lupus;
Nocturnus vel fur teneros de matribus agnos
Eripere insidiis, & populare gregem;
Jamq; ferè conversa caput spectaret Eoum,
Tempora discernens Parrhasis Ursa, latus:
Ecce quid insolitum, subitum quod pectora visum
Tangere? quæ nova quæ flamma micare polô?
Sidera rumpuntur subitò, rutilantis Olympi
Et picturata mox patuère fores.
Emicat extemplò juvenis super æthere, pandens
Brachia luteolô condecorata sagô.
Aurea cæsaries, nitor aureus oris, ab aurô
Et fuerant alæ, cetera visus homo.

Visus homo, sed erat verè stellantis alumnus
Aulai, & soboles officiosa DEI.
Cuncta putes ardere, statim sic omnia circum
Et nemora & montes fax ea sparsa fuit.
Fax ea sparsa fuit, mediâ sub nocte, vel ipsam
Ambigeres noctem videris, anne diem.
Constitit illa tremens, geminas regionibus alas
Ales in æthereis constitit illa vibrans.
Sicq; pecus super, attonitos pecorisq; Magistros
Ut stetit, hos roseô fudit ab ore sonos:
Ite, agite ite sacræ celeri sub mænia Bethles
Pastores pede, res, ite, videte novas.
En nova progenies celô descendit ab altô,
Promissum venit semen, adestq; salus;
Ipsa salus autem Mundi: procedere magni
Incipiunt menses; stella beata micat.
Signa dabo dictis, siccum cunabula fœnum
Præbet, & hospitium dat casa parva DEO.
Dixerat. Actutum circumvolat aurea dulci
Celestum feriens aëra voce cohors.
Obstupe're viri, gelidusq; per ima cucurrit
Ossa tremor pavidis lætitiâ atq; metu.
Alter in alterius figit nictantia vultum
Lumina, vox hæret faucibus, ora rigent.
Tityre, longa tamen post intervalla Menalcas
Fortior ille animi, Tityre frater ait:

Quo

Quo ferimur? quonā rapimur? quis musicus aures,
Viscera quis ve ferit pectoris ima sonor?

Quis torquens oculos nitor opprimit? aurea quæ
Nos cæcat? mundo quæ nova forma venit? (fax

Quæ radios dat stella novos, quò roscida vultūs
Phæbe purpureos, arbitra noctis, agit?

Ecce propinqua suis terræ sunt astra choreis
Visaq; cæruleum deseruisse polum.

Ecce novum fingit vellus caper, aurea Celi
Lux, duplici lucet sidus & igne novum.

Ecce micans Helice majorem circumat arcum,
Arctophylaxq; boves lætius ire videt.

Quis docet insvetum Genius balare petulcum
Atq; peregrinā voce sonare gregem?

Quæve dat insolitos maribus lascivia saltūs,
Hem quid? quid per agros luxuriare facit?

Ecce coniscantes teneros cum matribus hædos,
Plenaq; fellantes ubera lacte novô.

Quid? subolet, quid id esse, vigil Custodia, Lelaps
Dispergens cursu luxuriante solum:

Fortis crura Lacon, & matre Laconide nati
Labros & Agriodos præpes uterq; pedes.

Quin properemus age frater, grex tutus ab omni
Omne clausus agit, sævitieq; Lupi.

Quin properemus, habent certè spectacula pondus,
Quidquid id est, magnum suspicor esse, novi.

Nec

Nec fuerit sacra vox è nubibus irrita ruptis.
Lapsa, nec ales erit vaticinata nihil.
At caesa fumosò jam nunc suspensa tigillò
Fallor an adparet? scilicet ipsa patet.
En nunquam visum tectis superadstitit astrum,
Astrum, quo celum totus & orbis ovat.
En stabulum celsit, gustat nec pabula brutum,
Pectore corrugat sed metuente toros.
An, quòd in exiguum magnus diverterit hospes
Fortean hospitium quis, fera nosse potest?
Sic fati, subeunt pauperrima tecta, voluti
Protinus ad cunas & cubuère sacras,
Dona ferunt humiles nullò sylvestria cultu,
Deducuntq; novò carmina lata modò:
Gloria sit soli, solus qui Trinus & Unus
Possidet excelsus sidera celsa, D E O.
Quod fuimus miseri prius, id fieremus ut olim,
En fieri voluit, quod sumus, ipse D E U S.
Nascitur in duris Bethles præsepibus infans
Pauper, Jesseæ flosculus ille domûs,
Editur integrâ de virgine matre, nec unquam
Expertâ, vates ut cecinère, virum.
Verus homo, verusq; Deus dat hypostasin unam,
Sed sua naturam propria quamq; manent. (sim
Deme hominis quæ sunt; homo desinit esse, vicif-
Deme Dei quæ sunt; desinit esse Deus.

En

En recutite, quibus vix liberiora, per orbem
Sparsa diu totum jam tua sceptrā vides?
Vendicat Augusti sibi diva potentia juris
Jura tui, censū imperat atq; novos.
Gloria sola DEO, cujus promissio nunquam est
Spes frustrata pias, gloria sola DEO.
Rursus ad imperium nos eveheremur, ab altō
Dimisit servum se DEUS ipse polo.
Lactea sucturus castæ premit ubera Matris
Ne vel in æternum nos premat atra sitis.
Offula puſq; datur sene procurante Josephō,
Pupus edit, ne nos maceret alba fames.
Dormit, at ex somnō rursus expergiscitur, orbem
Ne trahat æternō ferreus igne sopor.
Ad fines faciat nos participesq; suarum,
Pauperis abjectō schemate gaudet, opum.
Me DEUS auxiliō cassum cur deseris, inquit,
Ne clamet scelerum mole repressus, homo.
Ut reddat vitæ meritos subcumbere morti,
Horrendæ duram mortis it ipse viam.
Gloria sola DEO, cujus sapientia sensūs
Mortales superat, Gloria sola DEO.
Interdicta, nocens dementia pomi
Traxerat auricomæ carpere poma Patres.
Debebatq; satis fieri, sententia stabat,
Solvere, vel dirum morte piare scelus.

B

Cor-

Corda pavor pulsat, meritæ formidine pænæ
Percussi fugiunt, antraq; cæca petunt.
Consulitur, facinus nimis est enorme, nequibat,
Perdiderat quod homo, reddere nudus homo,
Labitur aëreo donec per nubila motu
Nuncia Sponsoris vox inopina boni.
Scilicet integrâ nasci de virgine Gnatum
Velle DEI, lapsum velle beare genus.
Gloria sola DEO cuius miracula quadrant
Omnia justitiæ, Gloria sola DEO.
Magna plagam terræ distantia movit olympô,
Magnus ad occidum est sole oriente situs:
Major sed mensura DEI bonitatis in omnes,
Maximus in sanctos quosq; redundat amor.
Solveret, æternô quos carcere magna tenebant
Debita, qui Gnatum tradidit ipse suum.
Gloria Sola DEO, cuius nec tempora novit
Nec metam bonitas, Gloria Sola DEO.
Floreat in terris pax aurea, floreat, omnes
Cedite & insidiæ & cedite bella procul.
Cedite bella, piis requiem concedite, pacis
Nobile comparet nunc animabus opus.
Hæc ad aperta fuit quàm pax sanctissima, semper
Quocum certarent, olim habuere pii,
Conscia peccati campô mens semper apertô
Stabat, ad adgressum pronaq; semper erat.

Sub-

Subcubuit tali reprobis certamine Saulus,
Et parili victus sorte Cainus obit.
Quippe quibus pax hæc nunquã comparuit, omnis
Quæ spes promissæ fabula pacis erat.
Anxia venturi sic expectatio Christi
Pugna piis olim Patribus ampla fuit,
Scilicet humanâ se adeò cruciantibus ipsum
Indutum massâ posse videre DEUM.
Qualis (fas parvis componere magna) Tobiam
Longius absentem fleverat Hanna suum.
Qualis ab externis Sponsum desiderat oris
Jam jam venturum Sponsa novella suum:
Talis erat Patrum spes, talis habebat anhelos
Cura viros, hominem cernere posse DEUM,
Quæ dedit infirmæ Moses certamina carni,
Congrua facta volens, integra sena jubens?
Anne vel adfixi fragiles formido figilli
Sola animos hominum præcipitasse potest?
Omnibus æternùm malè sit, quicumq; statutum
Conati fuerint hoc violare meum.
Effatum, quo non aliud vehementius ullum,
Quo nunquam poterat spes superesse ratô.
Omnia jam rident, jam formosissima florent
Secula, tranquillâ plenaq; pace vigent.
Pace vigent animæ, quæ pace beator isthac
Pax? valeat mundi pax, ea salva fuat.

B 2

Crescat

Crescat in arma furor, surgat cū principe princeps,
Cum Duce Dux, plebs cum milite miles eat:
Definit irarum facilis Deus ipse, sepulchrō
Clausaq; perpetuō crimina nostra jacent.
Gnatus & ipse DEI veniens patefecit olympō
Factus homo nobis nobile pacis opus:
Mollia tranquillæ peragunt nunc ociā mentes,
Christus adest, regnat gratia, regnat amor,
Nunc pepigere fidem lex & sacra concio, Legis
Terrificas vicit concio sacra minas.
Ito procul, procul ito metus stygię improbe faucis,
Ducit ad æthereas jam via lata domos.
Jam tua res agitur, tua res Ecclesia, gaude,
Gaude quā celum, quā solum & omne salum.
En equitum magnā superūm comitante catervā,
Anxia Sponsa, tuus Sponsus amatus adest.
Pectora solve metu, te secum ad limina Patris
Abducturus adest, pectora solve metu.
Mixta venenatā quid dogmata fraude moremur,
Omnia consentit cum quibus ipse DEUS?
Adde, quōd in puerō hoc miseris consensio nobis
Cum nostrō verē mutua facta DEO?
Mota nec insidiis Satanæ metuamus iniquis
Bella, quibus junctus perpete pace DEUS.
Mars fremit atq; tremat, nostras irrumpit in urbes,
Cædit & occidit, torret is atq; secat?

Eri.

Eripit is Patrem, Matrem, fratremq; sororemq;
Eripit is Gnatos, eripit atq; bona?
Egregium verò lucrum & spolia ampla reportat,
Nos invisa tamen deniq; palma manet.
Gloria Sola DEO, cujus tutamine nunquam
Opprimitur justus, Gloria Sola DEO. (fra
Præ reliquis Solus, quot erant super astra, quot in-
Astra, Creaturis nobilitatus homo,
Principiò vanis verum placare studebat
Cultibus atq; merâ futilitate DEUM.
Pro libitu novâ quisq; suò simulacra vereri
Ceperat, & quercu sculpere doctus erat.
Impius in factisq; DEO præscribere normam,
Poscere quis proprium nec dubitârat opus.
Hinc ea vox audita fuit, durissima certè
Vox eâ, structuræ pænituiffe DEUM.
Ilicet & totò funduntur ab æthere nimbi,
Nil nisi erat celum, nil nisi pontus erat.
Omnia suffocat, vastaq; voragine mergit
Et pecudes & aves & rapida unda viros.
Nunc mage prona DEI, magne nunc propensa
Mortales oculò nunc propiore videt. (voluntas,
O divine puer, quia factus es ipse, quod ipsi
Nos sumus, es tanti maxima causa boni.
Ibimus ad portas agite, ibimus, ibimus unâ
Cernere devotò tale furore novum.

B 3

Non

Non Bethles inquam portas, sunt Bethla piorum
Mœnia, sunt cunæ templa sacrata sacræ.
Intus nempe jacet Christus, pia pectora tollat
Humanâ satagens carne videre Deum.
Ibimus ad templum, sanctumq; invisere partum,
Ibimus huic puero munera ferre precum.
Ibimus, ecquid oves verô pastore timemus
Nos servante lupum, quid stygii ora canis?
Ipsemet ad placidi nos mitia pabula campi
Ducit, ad illimes ipse reducit aquas.
Casibus in nostris socium se jungere nobis
Non renuit, lapsos erigere atq; pedô.
Nulla potestatis propriæ sibi fata quid in nos
Sumere, moliri vel male-sana queunt.
Si quid in hoc nihilô nobis ad vota videmus
Evenisse, DEI solius istud opus.
Evenisse tibi votis inimica vicissim
Si quandoq; vides, ejus & illud opus.
Et facta effari poterit quæ Lingua Jehovæ?
Non ea, non nostri gutturis hospes erit,
Salve terrarum Dea, felicissima salve
Bethla, urbes inter flos & ocelle sacras.
Quis Thebas tibi, quis doctas æquabit Athenas?
Roma tibi inferior septuplici alta jugô.
Et salvete piô resonantia dogmate CHRISTUM
Vos, Bethles instar, templa sacriq; chori.

Magna

Magna dies salve, salve nox mystica, partu
Facta salutiferò tuq; beata casa.
Huc properate, novâ deducite carmen avenâ,
Patravit noster maxima mira DEUS.
Huc properate, pius quotquot tenet ardor, Jesum
Quotquot amant, quotquot nomen & ejus ha-
Huc properate, pius plenò persolvite grates (bent.
Guttare, jò laudes dicite, ferte preces.
Pluris in elapsò quianam discriminis annò
Ad fines, voluit nos tamen esse super.
Sustinuitq; vices vigilis, memor ipse verendi
Fœderis, avertens noxia quæq; suis.
Et nova vota piò gemitu meditemur, ut annò
Protegat in parilem nos veniente modum.
Cumq; malis strictò procedere jure ministris
Definat, infirmum vas hominem esse ratus.
Debebas, ut erat par, reddere præmia, nostrò
Dispensare tuum pro meritòq; bonum:
Proh! Deus alme, foret poenæ quæ meta? quis esset
Terminus? aut tandem quæ daret hora modum?
Usq; quòd ingemuit vim Patria Martis acerbam,
Atq; tot heu! ferro subcubuère viri;
Anne merebantur nostri majora reatus,
Pœna vel in minimo si qua luenda foret?
At tua, juste Deus, nostrum clementia fatum
Sublevet; arbitrio subjiciatq; suo.

Adse-

Adfere tu causas, & protege jura tuorum,
Impietas telis occidat ipsa suis.
Pectoris en aditûs referamus & hospita nostro
Pandimus huic Regi tecta, manûsq; damus.
Ille, quod indigno vetitos ex arbore fructus
Surrapiens auso, quondam homo clausit iter;
Restituit nobis, nobis reclusit Olympi
Limina, ad amissas nosq; reduxit opes.
Insevit vitii quidquid natura vel error
Attulit, aut series languida carnis habet;
Occulit innocuô sacra sanguine victima factus,
Illius in meritum debita nostra ruunt.

GLORIA IN EXCELSIS
DEO.

Id 4206
g

ULB Halle

3

004 167 287



f
Sb

Sik. 18 u. 25 nicht in PICA,
da Hschr. +90

8-14

24 VD 17

10. Aug.
Jul. 01

M



